

Tentamentum medico-physicum inaugurale, de genere humano, ejusque varietatibus / [Michael Ryan].

Contributors

Ryan, Michael, 1800-1841.

Publication/Creation

Edinburgh : P. Neill, 1821.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nyfneebw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

*The delivery of the London Med Society⁵
with the Comptt of the Authors
at the Royal Garden*

TENTAMENTUM MEDICO-PHYSICUM,

INAUGURALE,

DE

GENERE HUMANO,

EJUSQUE

VARIETATIBUS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MICHAEL RYAN,

Hibernus,

COLLEG. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

COLLEG. CHIRURG. EDINB. REG. LICENTIATUS,
ARTIS OBSTETRICIÆ ACAD. ED. PERMISSUS,

NECNON

SOCIET. MED. ACAD. EBLANIENSIS

ATQUE

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SODALIS.

“ Quam magnifica sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est Terra possessione tua.”—DAV. Psal. 103.

“ Docuisti me Deus a juventute mea, et usque nunc pronunciabo mirabilia tua.”—LINNÆI Systema Naturæ.


Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

5



VIRO SPECTATISSIMO OPTIMO,
HONORABILI AC REVERENDO
RICHARDO BOYLE BERNARD,
PROSAPIA ILLUSTRI ANTIQUA BANDON ORIUNDO,
ECCLESIAE GLANKEEN IN HIBERNIA RECTORI,
QUI NON GENERE CLARO SOLUM, NEMPE,
PER DOMUS ANTIQUISSIMAS NOBILES IN
HIBERNIA DICTAS ET REGALES, DESCENDENTE,
VERUM ANIMI DOTIBUS MULTIS EGREGIIS,
UNDE VITA PRIVATA EXCOLITUR AC PUBLICA,
EXPLENDUIT ;
EIDEM,
HAUD MAGIS SCIENTIIS QUÆ DOCTISSIMUM
QUEMQUE EXORNANT, QUAM BENIGNITATE,
MORUM COMITATE TUTELAQUE LÆSORUM PATERNA,
QUÆ EX UNIVERSO ERGA HOMINES AMORE ORTUM DUCUNT,
PRÆSTANTI ;
HAS STÙDIORUM PRIMITIAS,
NOMINE TALIS VIRI PRÆFIXO,
VIX ALIO HONORE INSIGNITAS,
EA QUA DECET OBSERVANTIA,
OFFERT, DONAT, CONSECRAT,
AUCTOR.

PROFESSORI M. BOERHAAVE
IN AUREO CLOTHO
GENERIC HOMANO.

Tum oportet incipere a simplicissimis, cognitu facillimis, atque certissimis, a quibus deinde pergendum ad ea semper, quæ proximo gradu harum conditionum prægressa attingunt, atque ita accurate progredendum, ad composita, obscura, difficilia.

BOERHAAVE.

— sitio opta simillimū nūlōgō cōmūlōtūmīs a emplūr strīoqā mūlō
nūlōgō omixōq mūlō cōmūlō a lō mūlōtūmīs abalō sedīlō a pītū
cōmīlōtūmīs mīlōtūmīs mīlōtūmīs mīlōtūmīs mīlōtūmīs mīlōtūmīs
mīlōtūmīs mīlōtūmīs mīlōtūmīs mīlōtūmīs mīlōtūmīs mīlōtūmīs

DOCTERRY

TENTAMENTUM MEDICO-PHYSICUM
INAUGURALE
DE
GENERE HUMANO,
EJUSQUE
VARIETATIBUS.

Auctore MICHAEL RYAN.

TUM mundum hunc universum, tum hominum genus ratione **DEI** consilioque fabricatum, hosque ad beatitudinem consequendam conditos, quicunque credit; lege ipsis innata nunciandum, quæ sint munera et corporis et animi propria, quæque agenda unde beate vivatur, exemplo concipiet. Sapientiam **Divini Conditoris** potentiamque cuncta creata testantur: thesaurus existunt unde humana ditetur felicitas; in illorum usibus Bonita-

A

tem amabilissimam, in pulchritudine Sapientiam summam, in cura demum, qua conservantur eadem et renovantur, Providentiam usque omnipotentem se jactare agnoscimus. E quibus conficitur, ex ente supremo æternoque majus, nil optabilius fingi posse, nil denique rerum, quas e nihilo vocavit providentius. Ergo generis humani historiam aggrediamur documentis inde dandis, qua generemur origine, qualis vita sit nobis ducenda; quosque DEUS nos esse jusserset. Tanti vero argumenti lateque adeo patentis summas solummodo, neque nisi leviter attingere, limites huic tentamento apti sinunt.

Primo, itaque, de hominis creatione formaque externa, qua animalibus aliis omnibus insigniter præstat; deque mirabili illa qua prædictus est, prolem e sese sui similem gignendi, facultate, sum tractaturus. Secundo, de fœtus humani animatione, auxiliisque, quibus conservatus eo usque increscit, donec molem debitam adeptus et vigorem, certo tandem tempore, uterum ad sese contrahendum, stimulet; doloribusque puerperiis matrem adorientibus, delapsus in lucem edatur: deinde quo per omnia vitæ curricula nutrimento proles lætatur, quoque incremento. Tertio, quem-

admodum gens humana incunabilis jam perfuneta, numero capitum se auxit, nec jam aliis nisi naturæ legibus etiamnum parens, in omnem terrarum orbem se distribuit: imprimis autem quæ hominum observantur varietates, quasque a regionum singularum cœlo, situ, solo cæterisque valde diversis oriri autumant philosophi: illarum quoque causas, earundem quæ maxime celebres sunt collocationes recensere, haud alienum erit.

GENERALIS HUMANI HISTORIA.

HÆC vires nostras longe profecto superat materia, qua nempe ad rerum principium rapimur, ad temporis initium, quo naturæ Parens Supremus non manu sed verbo usus, cœlos, terras, maria, cæteraque creationis miracula speciosa nihilo proppaserit. De quo nihil simplicius, nihil sublimius, vocibus quas olim pectore rupit Rex Vates, “Dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt.” Qualibus motibus, quaque vi, rerum principia vel particulae forsitan, in fabricam tam stupendam, in ordinem tam pulchrum primo coaluère, dum contempletur animus, admiratione obstupescit, præ delectatione deficit.

Omnibus aliis conditis ornatisque, Creator Omnipotens, labores suos hominem ad sui imaginem creando, complevit; eumque ita compellavit: “Tibi, omnibus in mari vel terra viventibus, jus est imperare.” Sic homo, ultimum opus creationis, animalium primus et princeps est, cuius causa omnia natura genuit; ratione et sapientia præditus, percipit et contemplatur, quænam sunt ea omnia quæ sensu quodam naturali illi commendantur, unde eorum Creatorem Omnipotentem, omnituentem, immensem, atque sempiternum, noscat. Idem ex animo et corpore constat, quorum uterque suas habet vires partesque naturales: Hujus est nobis facilior cognitio, eademque ad provinciam medicorum præcipue pertinet; illum cognoscere ejusque morbos sanare, theologis, philosophisque moralibus magis proprium. Humanum ita formatum est, ut aliorum animantium corporibus multum antecellat, quippe quod sensuum organis aliisque, his ad vitam uniuscujusque, illis ad genus conservandum aptissimis instratum est, eisdemque artificiocissime fabricatis, qualia exequendis commodissime inserviant, quæcumque in mandatis dederit mens,—imperatrix illa

percipiendi, imaginandi, judicandi, optandi celerima.

Corpus humanum ex materiis animalibus componitur, unde compage idonea compositioneque gaudet; illas in duo genera dividunt anatomici, scilicet, in solida et fluida. Horum crassiora situs peculiares capiunt et fulcrum vel basin aliis corporis partibus formant; hæ omnes hoc ad miniculo pendent, et sustinentur; idem organa maxime vitalia ab injuriis externis defendit, et statum, figuram, motusque corporis determinat. Differt itaque, inquit Cel. LINNÆUS, corpus humanum a reliquis: “Corpore erecto, nudo, at piloso capite, superciliis, ciliisque, maturis pube axillis. Mammæ duæ pectorales, caput cerebro omnium maximo, uvula; facies abdomini parallela nuda: naso prominente, compresso, breviore, mento prominente. Cauda nulla. Pedes talis insistentes. Mares mento barbato. Fœminæ imberbi.” Non prætereunda est forma ad dignitatem erecta et contemplationi idonea; membrorum motus facillimi et celeres, vultusque ad omnes animi motus et indicia exhibenda flexibilis, incessus ipse quo homo se jactat cœlum aspiciens, ejus præstantiam enarrant; terram artubus extre-

mis attingit; sed ea animus illius minime continetur; ad altiora nempe erectus, inferiora leviter inspicit, speque immortalitatis domos superum jam petit. Quas facit sexus dissimilitudines in corpore humano, satis conspicuae existunt. Maribus totum corpus grandius est, ossa fortiora musculi melius expressi magisque firmi ac fortes, vox magis sonora et rauca, vultus fuscior, cutis magis crinita, incessus firmior, artibus corpus validius sustinentibus, exercitatio facilior et labor tolerabilius, quam eadem in foeminae reperiuntur. His statu corpus minori est, mollius et rotundius, incessu erecto, vox querula et modulata, crines longiores flexibilioresque, mammæ magis sublatæ et rotundæ, pelvis supra amplior, artus extremi molliores et magis rotundi, vultus pulchrior et hilarior, oculique vividiores nitent, quam haec in maribus observantur: mutabilis et credula est foemina, affectibus animi gravioribus magis obnoxia; alias placida et mollis, in amicitiam sensu verbis obducto potius quam impetu dulcedinis aperto se insinuat. Mas naturaliter superbus est, tetricus firmus, sui regendi appetens: ad hunc pertinent robor majestasque, ad illam dignitas et pulchritudo. Quinetiam is a DEO creatus est homo, qui sibi

similem geniturus prolem foret: hinc mox ab origine sua conjuge donatus, fœdus matrimonii sanctum iniit, quod ab eo tempore per totam terrarum orbem, ritibus rei peractæ aptissimis celebratur. Valde propria est hæc conditio homini, quia desiderium prolem sui similem propagandi, cultum Veneris inevitabilem facit; unde sexus inter se conjunguntur, et genus continuatur. De ea facultate, qua animalia suum genus perpetuant, multæ variæque opiniones apud medicos tenentur; sed quanti hæ singulæ valeant, jam non nostrum est quærere; nam satis est, eas generaliter repugnantes fuitilesque esse, significare.

DE GENERATIONE.

HÆC est opinio, de vi generandi, inter celeberrimos hodie recepta, nempe, "causa prolem generandi humanam, amores et coitum inter sexus esse; quo fluida ex corpore utroque expelluntur, dein inter se commista prolis futuræ principium formant." Cui rei haud sufficit humorum mistus mechanicus; ERGO VIS LONGE ALLÆ NATURÆ AC MATERIA BRUTA NECESSARIA VI-

DETUR, qua homulus tam vita animali quam anima rationali instruatur.

De foetus forma nunc pauca dicenda restant. Inter hos annos proxime elapsos*, cadaver fœminæ quæ octavo abhinc die conceperat inspiciendi facultas fuit; et oculis per vitra potentissima adjutis, hæ res visæ sunt: “Principium foetus futuri vesiculæ, glutinosæ, et pellucidæ simile, fundo uteri pendens observatur; idem acu motum ex duobus corporibus forma ovi præditis, et quasi collo conjunctis constare videtur; horum unum caput putatum est, alterum corporis truncus.” Sed oculo naturali quum primo conspici potest proles humana, vix formica major est, ovi aquulæ pellucidæ innatat. Quarta hebdomada ovo ranæ jam vivo similis dicta, molem muscæ parvæ, caput rotundum ex quo cauda projicitur, habet; ea tamen cauda artus humanos haud refert, fortasse medulla spinalis est. Nunc temporis punctum saliens infra caput videre possumus, humorem pellucidum brevi sanguinem rubrum continens; cor est; et hoc paulo infra abdomen apparet. Super capite duo puncta nigra, oculi futuri, os quoque observantur; sic omnia organa vitalia cere-

* Vide Med. Chir. Trans. vol. ii.

brum, medulla spinalis et cor ante cætera formantur. Quartam inter et quintam hebdomadam, mollis mucosa proles, muscæ communis molem habet, intestinis ejus membrana pellucida tectis, utero matris per abdomen suum pendet; quo his primis diebus fœtus crescit, commeatum explicare non ita facile est, satis vero evidens est, quando connexus spongiosus placenta nempe parentem inter et prolem existit.

Circiter sextam hebdomadam hoc organum spongiosum primo observatur, tunicam chorii inter et uterum utriusque annexum: Ex duabus laminis constat, inter quas structura reticulata existit, arteriæ maternæ suam laminam penetrant, et in structuram reticulatam interpositam sanguinem vivificantem effundunt. Venæ ex altero latere hujus organi ortæ, sanguinem nuper arteriis maternis depositum exhauriunt, jamque in trunacos duos majores collectæ; eundem fune umbilicali ad fœtum vehunt; jecur ejus penetrant, trunco magno ductu venoso ibi emissso, inde sanguis ut in adulto ad cor procedit, ex auricula dextra per foramen ovale ad sinistram, protinus per totum corpus ut in homine transit. Sed fœtus pulmonibus collapsis, sanguine in ventriculum dextrum

affuso, ductus ex arteria pulmonali ad aortam currit, et sic per corpus movetur humor vitalis : jamque per binas arterias ex iliacis derivatas, qui per funem umbilicalem ad placentam maternam currunt, et in hujus venarum ramusculos hiant, et sic motus sanguinis in fœtu humano efficitur. Homulus nunc rapide evolvitur, octava vel prius hebdomada vultum satis apte et congruenter expressum habet ; decima vel duodecima nares, os et artus se monstant, forma haud abnormi et distincta, tres pollices alta. Quarto mense corpus quinque pollices, quinto septem, sexto novem ; et mensibus sequentibus quindecim, viginti, viginti duos pollices longum est. Volumen ejus magis tertium quam secundum mensem crescit, sub initio quarti mensis tardius, sub fine hujus mensis citius ; sexto mense tardius, parique gradu ad finem graviditatis augeri videtur. Uterus ipse dum fœmina grava est, mirum in modum crescit, quinquagies fere capacior factus, quam virginis fuerat.

Maturi partus terminum, circa finem noni mensis, a natura constitutum fuisse, nemo necessitatibus nonnulli tamen occurruunt partus septimestres et octimestres, quin imo duodecimestres et

sexdecimestres ab auctoribus memorantur; penes quos sit fides; verum plures annos, nimirum viginti,* triginta, quadraginta †, etiam quinquaginta ‡, gestatus est foetus vitae expers; in talibus autem exemplis extra uterum fere collocari repertus est; variat ergo tempus, quo posita est meta graviditati.

DE PARTU HUMANO.

JUSTO demum tempore, nono mense, sentit mulier varias et magnas mutationes animi corporisque; moesta languescat: jam parituram dolores leves, et toto corpore et utero præcipue vagi, adoruntur; iidem modo cessant, multo gravius modo redeunt, e musculosarum fibrarum motu exorti, quæ jam pondus infantis renixumque ægre ferunt; seseque contrahendo onus expellere conan-

* Vid. "Princ. Midwifery," by BURNS, p. 636.
SANDFORT's "Observations," vol. ii. p. 36. Phil. Trans. vol. xxiv.

† Phil. Trans. vol. xxxi. p. 126.

‡ Med. and Phys. Journ. 1800.

tur. Capacitas uteri multo his doloribus immunitur, materia glutinosa quæ os uteri claudit, solvitur; omnesque viæ quibus delapsurus est infans, fluido mucoso ex iis excreto lubricatæ se laxant. Ingravescunt dolores magis magisque; os uteri cervixque cum vagina maxime dilatantur; saccus membranaceus ovi per ea projicitur, omnes undique partes quam latissime inter se aperiuntur; sacco membranaceo vi contrahenti vel arte externa lacerato, liquor amnii effunditur, qui partes quibus fœtus exire debet madefactas emolliat. Extemplo dolores gravissimi identidem sœviunt, et caput infantis cito, transitu interno uteri externoque, id tali itineri mirum in modum natura aptante, extrudunt. Quo facto corpus dein facile sequitur, dolore multo leviore; et sic nascitur genus humanum. Corpus ab utero recens, humores hujus blandi calidique non amplius fovent, quod aëris communis frigori subjicitur, faciei pulmonumque nervi ab eo stimulantur; diaphragma descendet, pulmones aëre expanduntur qui receptus ut reddatur, nixus fit cito a corpore toto gravis, expiratio nempe inducitur, tum rursus ducitur aër; eoque modo deinceps functio vitalis spiritus peragitur.

Protinus infantem fere lachrymantem a matre removere necesse est, fune umbilicali quam accuratissime et firmissime ligato, et demum secto: tali modo sanguinis præcavetur profluviū, quod obstetricium incuria vel imperitia accessisse compertum habemus. Ope tepidæ lavationis sordibus emundatur infans, priusquam blandis vestimentis regionis cujusque propriis induitur: fæcibus intestinorum hærentibus tormina inducuntur; si mamma sugenti præberetur lac, in ventriculo vitiatum vel coagulatum foret; spatio itaque ad alvum purgandam concesso, in his saltem regionibus, nonnisi horas duodecim nati stomacho lac committitur.

DE INFANTIA.

MENSES a duobus ad quatuor ætatis primos, in pluribus terrarum gentibus, scil. Batavis, Italís, Turcís, primo anno lac solum nutrimentum est: et inter foeminas barbaras Canadenses, quarto, quinto, et saepē septimo anno, idem suppetit pabulum. Quod brevi tempore in his nostris terris matribus deest; tunc cibus ex pane optimo et lacte

vaccino conficitur, a plerisque harum conceditur. Septimo a natali mense Dentitio incipit, infans hilaritate deposita, tristis fit et inquietus, alias dentibus enascentibus varie ludit; sed in pluribus molestissimum est illud naturæ conamen, dum fauste et placide, vel insciis nutricibus, in aliis perficitur. Vice prima dentes viginti oriri solent; sed gingivis fortasse subsunt quinquaginta et duo, in propriis capsulis siti. Capsulam et gingivam prius necesse est vasis absorbentibus removeri, quam dens ipse projicitur; maxillæ inferioris dentes superioris ortum fere præveniunt; nono circiter anno, omnes octodecimo vel vigesimo projecti, aliquando pauci per totum vitæ curriculum desiderantur. Circa duodecimum vel quindecimum mensem, Facultas Loquelæ evolvi incipit; ossa corpori toti adeo durescunt, et pondus ejus ita ferunt, ut sæpe octodecimo mense stet ambuletque infans, jamque a mammis detrahi sollet alumnus. Cui viscera plura, cerebrum præsertim, pro rata parte magis ampla quam adulto extant, hinc morbi spasmorum illi multo frequenteres. A morbis tam variis aliisque externis affectibus, quibus infans obnoxius est, nonnulli

aiunt numerum infantum dimidium *, alii ex omnibus his in partes tres diversis duas ante annum ævi tertium †, perire. Tertio anno finito, Pu-eritia agi coëpta dicitur; validior jam et multo melior vitæ futuræ spes, omnes partes corporis rapide increscunt, organa internorum extero-rumque sensuum fortiora evadunt; motus cordis et pulmonum minus frequentiores, recordatio re-rum antea perceptarum tenacior est; duodecimo vel quatuordecimo anno, hoc vitæ stadium termi-natur.

Proxima suboritur Pubertas, vitæ quæ vitalis merito habenda est, Aurora fulgens, voluptatum tempestas. Tum vero subitum totius corporis incrementum aliquando mirum in modum occur-rit, vox in maribus rauclor magis sonora, pubes axillæ faciesque pilis omnisque corporis superficies lanugine candida, vestitur. Organa genitalia prius inutilia et parva, cum reliquo corpore cres-cunt, multoque aucta, semen fœcundum secer-nunt; cuius stimulo adolescens ad grata Veneris

* PERCIVAL's "Med. Essays."

† RICHERAND's "Physiol."

munera incitatur. Eodem fere tempore quo pueri pubescunt, puellæ solent nubiles fieri, genitalia organa evolvuntur, pubes venit et mammæ efflorescunt: nova venustas ori, nova elegancia universæ formæ accedit; antea siquando valedictudo infirmior fuerit, saepe et subito sanitatem fruatur puella; ex utero, secretio sanguini similis singulis mensibus effunditur; ille ad prolem suscipiendam idoneus evadit. Exinde naturæ legibus, sexus desiderio impelluntur, quod eos inter se conjungit, unde proles similis propagatur. Justam et maximam staturam juvenis nunc adipiscitur, sed saepe gracilis et adulto viro formam dissimilis, eique annum vigessimum tertium vel quintum agenti, omnia organa ampliorem mollem attingunt. Interea Adulto Vita cursum auspicata suum est, exinde omnes corporis partes magis augescunt, magisque quam in adolescentia evolvuntur, et formam bene expressam assumunt; vires adeo confirmantur, ut omnia cum animi tum corporis munera quæ ei tribuit natura, quam efficiacissime vir exequi possit; corpus maximam staturam complevit; illi vero locus est quo magnitudinem amplificari ad annum quadragesimum ætatis usque queat; quo tempore cessat illud, et

exinde marcescit. Delabitur corpus humanum eadem fere proportione ac increverat; et ut non ante annum quadragesimum ad incrementum summum sui pervenit, ita tempus par prius effluere deberet quam homo langescens fato succumberet, nisi quid humanitus interea ex improviso acciderit*. Ætate progrediente vasa resorbentia adipem ubique corporis devehunt: facies in rugas contrahitur, totum corpus minuitur, visus plurimum mutatur; humoribus nempe oculi, parce suppletis, cornea extrinsecus concava fit; lens cæteraque oculi fluida radios illuminantes refringendi vim amittunt, hi in corneam dimanantes incident, plurimis punctis indistinctis super retinam depinguntur; unde visus obtunditur. Crines per totum corpus cani cito albescunt; organa concoctioni inservientia depravantur, unde marcoris initium est. Hoc vitæ stadium ab anno quinquagesimo ad sexagesimum quintum extenditur, quo Senectus intervenire dicitur. Exinde omnes functiones magis impediuntur, vires plurimum imminutæ, et totum corpus sensim de-

* Vid. RICHERAND's "Physiol."

ficiunt, sensus unusquisque labat; tum homo rerum externarum impressionibus multo obtusior est, tum judicandi facultate, tum percipiendi turbata laborat, amore sui proprio cæcus, apertas animi corporisque mutationes quas patitur parum cernit, perceptionesque novas quæcunque ei accidunt universorum vitiis potius quam singulorum ascribit. Annis volventibus virium moventium debilitas, torpor rigiditasque graviores fiunt: tandem aliquando viribus animi corporisque prostratis, motus sanguinis in corporis partibus corde remotis, cessat. Spiritus difficilis laboriosus redditur, vultus depresso, oculi semi-clausi et fixi, facies collapsa longissima, os aperitur, sanguis circumire præterquam pulmonibus absistit, viribus penitus exhaustis, expiratio longa laboriosa et fortis succedit, motu sanguinis ita in pulmonibus omnibusque functionibus ad vitam necessariis simul consistentibus, vita extinguitur; anima e corporis vinculo tanquam e carcere, quo DEUS jussit, evolat; in pristina elementa corpus solvit, aliis animantibus pabulo futurum: Sors omnibus communis.

Eadem Sapientia Divina quæ leges naturæ motusque principio, consilia quæ semel cepit haud mutanda esse voluit, unde omnia ani-

malium plantarumque genera etiamnum usque procreantur. Hæc verba, "Crescite et multiplicamini," vim omnipotentem possident, perque sæcula cuncta se extendunt; sic soboles humana perpetua atque ab incunabilis progressa, regiones vicinas gradatim incoluit. Nota est ubique historia Diluvii, quo DEUS hominum sceleribus offensus, universos pene delevit. Pauci exitio tanto salvi superstites númerum suum multiplicavere. Quorum proles, cum, ne clades talis homines iterum obnueret, turrem illam famosam ædificando caveret, loquelæ perturbatione exorta, dementes re infecta discedere coacti sunt; inque omnes orbis terrarum plagas se dispertiri. Illis proinde quædam corporum mutationes tribuendæ erant, unde hæc regionibus quas incolebant variis, sive frigidis sive calidis, aptarentur. Moribus interea cultuque auctis, cum vel propter causas diversas, puta belli vel commercii, ad vicinas remotasque terras homines migrarent: tempore progrediente, incolis tam similes facti sunt, ut de aliquo horum dictu difficile esset ex hominis aspectu, an stirpe indigenarum an advenarum fuerat generatus. Ergo tali modo hominibus inter se commistis nuptiasque contrahentibus, inco-

larum mutationes (in quavis terræ regione) varias multiplicesque inde sequi oportebat; unde generis humani species, in diversis terræ plagis, dissimilitudines magnas in corporibus exhibebant. Quas mutationes hominum varietatesque quando leviter quidem perstringendas suscepimus, quatenus hæ ad formam externam spectent et colorem; qualesque hujus generis effectus peculiares e terra, cœlo, cultu, cæterisque ejusmodi causis, ortum ducent, exponendum. Terrarumque quæ in iisdem latitudinis gradibus jacent, de incolis conjunctim disserendum, atque a septentrione initium sumendum.

DE FORMA GENERIS HUMANI EXTERNA.

Gradus septentrionales octogesimum inter et septuagesimum.—1, Vivunt in *America*, Esquimanenses, Groenlandienses aliquæ a fretu Bheerring usque ad Groenlandiam. Descriptio: caput magnum, rotundum et compressum, oculi parvi, flavi vel fusci, et sæpe ad nigrum inclinant, supercilia densa ad tempora trahuntur, nasus brevis et simus, labia crassa extrorsum se vertunt; maxillæ prominentes, os magnum, vultus supra latus et

infra angustus ; vox querula ; mentum acuminatum antrorum projicitur ; crinis niger et fuscus, nuci castaneæ similis, et sæpe crispatus, barba omnibus, statura media, homines robusti et cutis subfusca. 2, In *Europa*, Lapponenses, incolæ Novæ Zemblæ, Finini, Suedi, Dani, Rossi, hi omnes septentrionales, Americanis jam descriptis similes sunt. 3, In *Asia*, Samoedi : hos cæteros referunt, præterquam quod sint colore flavo, crine erecto nigroque : omnes septentrionales ex eadem stirpe orti putantur, et has regiones incoluere, quas alii homines incultas disertasque esse crediderunt.

Gradus septentrionales sexagesimum inter et quinquagesimum.—1, In America incolæ Walliæ Novæ Meridionalis et Labradoriae, Esquimauensibus similes sunt. Circa Freta Hudsonii, statura his parva et deformis facie crinita : prope Freta Daviensia, parvi et fortes, colore oleagino ; inter hos, nonnulli sunt alti, colore subalbido, et vultu satis congruo. 2, In *Europa*, Britannis, vultus albus roseus ; crinis multo variat ; statura circiter quinque pedes et dimidium : Dani, Suedi Australes, his similes ; sed illis crinis auricoma, vel rubra vel flava ; statura alta,

satis bene formata. Germani, multo, altiores quam alii, illis pares ac Rossis Australibus statura vultusque. 3, *Asiae* incolæ Samoëdis formam haud absimilem habent.

Gradus septentrionales inter quinquagesimum et quadragesimum.—1, In America, Terra nove inventa, et Canada, facies lata et depres-
sa, color oleaginosus, omnibus barba deest. 2, *In Europa, Gallis*, statura parva sed maxime de-
cens, vultus albus cum rubore; *Britannis* supra
descriptis maxime similes sunt. *Hispanis* color
subfuscus, crinis niger, oculi vividi, forma venus-
tissima: hos *Gallosque* inter et *Italos* similitu-
dines insigne. *Turci* valde robusti et vultus
haud ingratus. 3, *In Asia, Georgianis et Cir-*
cassianis, vultus ex albo rubro, variat omnibus
formosissimus; frons magna et expansa, caput
symmetria gaudet, oculi parvi et vividi; labia
tenuia et rubra; os parvum; mentum rotun-
dum, proceritas. *Sinensium* vultus magnus et
rotundus, oculi parvi, palpebræ resupinæ, nasus
brevis et simus, vultus fuscior quam *Hispanis*;
sed *Septentrionalibus* magis albus quam *Aus-*
tralibus; his fuscus est. *Japonenses* ab his diffe-
runt, colore flavo et magis fusco.

Medium Terræ inter, et gradum latitudinis quadragesimum septentrionalem.—1, In America, magis fusci indigenæ, quam in regionis ejusdem septentrione. 2, *In Africa,* Mauri similes Hispanis, qui littora adversa tenent : illi cœlo libere expositi, fusei ; qui insolatione vacant, albi. *Ægypti,* fusci, sæpe nigri ; *Algerini fusci,* satis robusti. 3, *In Asia,* Arabis, statura media, vultus macer et fuscus, oculi nigri, crinis quoque ; et vox querula. Persæ fortes et robusti sunt ; his crinis niger, frons alta, nasus aquilinus, maxillæ planæ et mentum magnum, facies alba, flavedine tincta, sæpe fusca ; et apud meridiem regionis, nigra. Omnes Afri, qui a gradu octodecimo septentrionali, ad gradum octodecimum australem degunt, Abyssiniensibus exceptis, nigerissimi sunt. Nigrorum descriptio : Cutis his nigra et mollis, crinis niger, brevis et laneus, caput angustum, natura vel arte compressum ; oculi prominentes et conjunctiva flava, dentes candidissimi, iidem inferiores antrorum projecti, labia tumida, nasus brevis et simus, aures prominentes, mentum recedit ; et exhalatio cutis fœtidissima sæpe excernitur. *Asiae Indis Orientalibus,* facies nigra, crinis longa, statura media, erecta, et bene

expressa; vultus hilaris, corpus fœminarum breve et artus inferiores longi sunt. Mongolici, aliique Indi, formam Europæis similes; nisi quatenus colore differunt. Ceyloniæ quidem sunt barbari, qui sylvas habitant, solem vix unquam vident; qui colorem rubrum, vel Europæo haud multum alienum, habent. Javanensibus, statura parva sed satis bene constituta, frons magna, nasus parvus, oculi nigri et ardentes, facies oleagina, sed in fœminis subflava est. Sumatrenses, parvi sunt, his crinis niger et crassus, vultus flavus sed non cupreus, iidem fortunæ florentis albidi. Bornensisbus, vultus est niger, Ethiopico haud dissimilis.

Medium Terræ inter, et gradum latitudinis vigesimum Australem.—1, In America, omnibus color cupreus, sed magis ruber, quam regionum septentrionalium incolis. 2, Afri, nigri. Madagascarienses, statura alta, vultu oleagino, crine nigro sed non laneo, sæpe crispato, naso parvo, et labiis tenuioribus. In insula Nova Guinea, statura parva, vultu fusco, oculis magnis et naso simo, sunt.

Gradus Australes vigesimum inter quinquagesimum latitudinis.—In America, Patagonis, statura plerumque pedes sex et dimi-

dium, octo interdum, longa est; facies flava et rubra. In Terra del Fuego, statura hominum media, circiter pedes quinque cum semisse est, caput magnum, facies lata, crinis longus et niger, color oleagineus. 2, In *Africa*, Hottentotis statura similis Europææ, sed manus et pedes multo minores sunt, ossa maxillaria prominent, labia tenuiora, quam Æthiopum vel Caffrorum, os medium, crinis niger et magis laneus, quam illorum. Bataviæ Novæ incolis color fuscus et niger.

His gentis humanæ varietatibus breviter expositis, proximum est, ut quæ sint earum causæ, quique effectus in hominum corpora derivati, e cœlo, situ, solo, cultu, moribusque populorum inter se diversis fluxerint, exploretur;—in quo cœli mutationes primo perstringamus.

DE CALORE.

PRIMUM quidem expanduntur calore, tum fluida humani corporis, tum solida; hæc simul inter se cohærent laxius, fibris debilioribus effectis: eodem autem continuo particulæ tantum solidiores magis densantur, ad se invicem fortius attractæ, fluidioribus exhalatis. Quo fit ut in calidis regionibus incolarum ossa gra-

vitatem specialem quam nostra majorem habere dicantur; dum illis minor est corporis moles. Radiis solis cuti nudæ applicatis, inuritur nævus, ante plurimos annos, sæpe nunquam vitæ decursu, removendus. Æthiopum infantes Indorumque ab ortu albi, nusquam nigrescunt donec cœlo aperto subjiciantur. In Zona torrida ex Europæis nati, colore parentum gaudent; sed a solis radiis subfuscari fiunt. Si calor maximus sit, cutis humanæ color nigerrimus erit. Sic in Guinea et Æthiopea, quibus sol ardens est, incolæ nigerrimi sunt; si calor minor sit, color subfuscus, ut in Barbaria, Ægypto et Persia: et si calor lenis temperatus, quemadmodum in Europa, color albus est. Mutationes eadem calore in corpore humano ac frigore extremo inducuntur, nam in regionibus glaciatis, qualiter Groenlandia, inter Lapponenses et Samoëdes, color fuscus, atque in illa nonnulli homines tam nigri quam sunt Afri.

DE FRIGORE.

FRIGUS, caloris absentia, omnia naturæ corpora constringit, comprimitque; hinc in regionibus frigidis hominis parvi videntur et deformes;

qui quasi faciem defensare collumque a frigore vellent, caput inter humores deprimunt; hinc colla brevia, humerique alti, in his terris fiunt. Hic quoque color externus multis animalibus mutatur, quæ proinde ad alias regiones, cœlo temperato et fruentes sereno, hyeme, migrare solent.

DE SITU.

Loci situs temperiem multo variat: Loca super mare alta magis frigida, quam quæ pariter ac illud demissa jacent. In regionibus frigidis, hyeme præcipue, frigus a mari imminuitur, calorico nimirum inde evoluto; quod contra in calidis accidit, aëris calorico nempe per undas illius subtracto. Britanniæ cœlum a mari circumfluentium magnitudine, multo quam regionum aliarum æqualiter a polo distantium, mitius existere, tradit in prælectionibus celeberrimus Professor HOPE, Chemicæ peritissimus. In America Septentrionali grave frigus est, quia ibi venti flantes per regiones immensas incultasque veniunt, neque mari remoto, caloricum ejus accipiunt, unde mitescant. Montes alti, quales Caucasus et Andes, loca quæ infra se patent, calidiora, quæ supra, frigidiora; transitum ventorum frigidorum interrumpendo, reddunt. Conditio terræ tempe-

riem variat; solum siliceum nempe argillaceo calidius extat, quod in regionibus calidis satis superque compertum. Solitudines silvosæ paludosæque, loca septentrionalia frigidiora, quæ vero terræ sunt mediæ calidiora reddunt; in illis nempe radios solares excludunt, vel de eisdem jam in terram cadentibus detrahunt; dum plantarum exhalatio et vapores paludosæ frigus generant; sed in his radii solis recti in terram descendunt, et paludibus nullis existentibus multo major fit calor. Silvis Americæ Septentrionalis ferro excisis, frigus ibi loci magnopere solvitur. A Romanis quondam, dum dominatum tenerent, exercitus in Germaniam missus, Istrum frigore jam consistentem transiit; tunc temporis ruda, inulta, silvosaque erat regio; ejusdem vero jam excultæ temperies adeo æqualis est, ut flumen idem gelu nunquam constringatur. Eodem fere tempore, Italia quoque colendo nondum ornata, a poëtis Romanis docti sumus, vinum in cadiis sæpe gelatum fuisse; sed silvis radicibus sublatis, regio saluberrima evasit et serena. Corpori humano graviter noceat inopia cibi vel vestimenti, quæ maxime inter se descrepant cum singulis tum diversis regionibus.

DE ANIMI AFFECTIBUS quædam tradenda res-
tant, sed de his breviter. In libro “Principia Me-
dicinæ” dicto, auctore FRANCISCO HOME, in hac
alma Academia quondam Professore, quem ut-
pote luculentum lubentissime laudare, medicisque
tyronibus diligenter evolvendum commendare mi-
hi liceat, Pathemata in classes duas dividun-
tur. “Prior quæ complectitur iracundiam, indig-
nationem, furorem, desiderium, amorem, &c. ad
actionem incitat. Posterior, ad quam pertinet
metus, terror, mœror, desperatio, &c. ab actu re-
primit. Pathemata illa, Incititia appellata,
sanguinis circuitum excitant, fibras constringunt,
humores attenuant, et secretiones promovent.
Hæc, Reprimientia vocata, ab externis injuriis avo-
cant, et humores a prioribus calefactos sedant, vel
exhaustos restituunt.”

Quæ quidem divisio, quamquam fundamentis
in rerum natura positis nitatur, affectibus tamen
quibusdam, neque simplex vis neque singularis
competit; quorum nimirum est et excitare inter-
dum et deprimere; qui que aliis comitantibus, ani-
mique partem sibi vindicantibus, alias in alium
more modoque varie mutati, transeunt. Om-
nes interea corpus humanum magnopere percel-

lunt. Quorum certi nationibus, certis potissimum dominari observantur; imo homini etiam cuique cupiditates suæ, quæ ipsum transversum agant, atque a tramite recto abstrahant. Graves ab illis vultus, et totum corpus ab eisdem diu instantibus, subit mutationes. Exemplo sit dolor, cuius imperio oris anguli deprimuntur, labium inferius attollitur, os compressum clauditur, hoc inter et oculos augescit spatium; hinc vultus in longum tractus, hinc fortasse tristior Nigrorum aspectus, hinc capilli mutantur, et interdum subito incanuere.

Ex his omnibus, quæ hoc super argumento prolata sunt hactenus, attente perpensis, facile eruitur, quam dudum assecuturi sumus, conclusio: perspecto nimirum, quibus modis et a quibus causis mutetur corporis humani conditio, imprimis quoad colorem, staturam, mollem, vultum; quæ a cœlo, calore, frigore, situ, cultu, moribus hominum et victu, liquide afficiuntur; revoluto quoque, quanti in hoc genere valeant hominum in terras exteris migrationes, tum longinquæ alienigenæque in matrimonia ductæ, tum harum rerum, modus variatus nunc major nunc minor; considerato præterea, cui soli quibus

ventis quæque objiciatur civitas, quale sit ei solum, quæ marium magnitudo quibus alluitur, quæ corpuscula vaporesque in aëre circumfuso fluitent, pro diversitate locorum quibus nascuntur diversa, atque paludibus potissimum orta;—tali argumentamur modo. En plura operandi certissima, quæ gignant usque genitura varietates formæ, faciei, constitutionisque, in corpore humano apertas. Quas mutationes, illa eadem in corporibus perficiunt, rebus observatis, historiaque hominum jam tradita, abunde liquet. In quo, assumptio nulla est, nihil non probatur, quatenus per scientiam humanam prodiri possit. Monstratis ergo causis, eisdemque probabilissimis, atque hic et nunc valentibus, quæ effectis pariendis sufficient, quo jure negabuntur illa effecta inde sequi? Ergo hæc concedi mihi, vel verisimiliora profer.

“ Si quid novisti rectius istis,

“ Candidus imperti, si non, his utere mecum.”

At contra sententiam nostram dictum est, incolas ejusdem regionis, staturam et colorem valde inter se differre. Verum interea oportet reminisci, plebem negotiis variis occupatam, viribus regionis varie sed magis subjici, quam conditionis altioris homines, qui neque cœlo, neque labori, nec aliis causis variis sunt oppor-

tuni : ergo in his color regione pendens variat, nec tam distinctus quam in illis, atque ille singularis terrarum plagis plebeculae est idem. Incolae rursus, dixerit quispiam, in eadem latitudine degentes, scil. in America colorem cuprei, in Tartaria fusci, et in Europa albi, vultumque sibi invicem dissimiles existunt. Id quidem ita est. Sed in eo cœlum, solum, modusque vivendi singularum, quibusque modis jam memoratis, haec incolas affiant, momenti maximi sunt et ponderis. Inter Americanos et Tartaros rudæ et incultæ terræ, nudi qui omnibus tempestatis vicissitudinibus obnoxii sunt, minus albi quam Europæi redduntur ; nam his agri fertiles, cœlumque temperatum, serenum et saluberrimum, vestimenta gerentibus, nihil deest quod vitam et suavem efficiat et jucundam. Magis albi sunt Sinenses quam Tartari, quibus valde similes sunt illi, tum statu ram tum colorem : Sed magis mansuefacti, in oppidis vivunt, quæ a cœli periculis eos defendant ; his vero sub Jove aperto dormientibus, ejusque inclemenciacæ continuo expositis, oppida haud suppetunt. Nec nos fugiat haud alio pacto, quam sensim sine sensu, homini colorem mutari : Equidem mutatio quæque corpori humano permansura, stabilemque characterem impressura, tarde fit,

passuque ægre perspicio: eadem magna si subito et violenter illud statu solito, cursuque retraheret, fabricæ organorum delicatæ perniciem aliquam vix non inferret. Ex his corporis humani legibus, multi anni prius elabuntur, quam incrementum debitum eidem compleatur; stultusque peccat, qui hominum cuti mutationem tantam fingit futuram fuisse, ut hæc a fusco nigrove intra paucas horas, vel etiam annos, ad albidum pulchrumque transeat. Ex his facile redditur ratio cum quæritur, cur corpus humanum calori ingenti, ad gradum puta instrumenti Fahrenhei-tiani trecentesimum usque, colorem sibi mutatum non experiatur; vel Æthiops vel Indus cum oras nostras sole alio calentes attigerit, cur non albescit? In talibus responsio est;—neque natura generatim, neque corpus humanum subito, in contraria transit; sed paulatim, a consuetudine atque interdum a lege innata, se flecti patitur.

Quando diversitates quidem tantæ in gene-re humano apparent, quæstio agitatur: an ex unica stirpe, vel pluribus, nascuntur homines? Celeberrimus KAMES huic, ad tale commentum fulciendum, ex historia sancta, plurimas anima-lium inferiorum species, probat. Mirabile est,

quam philosophi, res etiam evidentes oblivisci volunt, si modo opinionibus quas tuendas amplexi sunt, repugnant. Sic KAMES immemor esse videtur, historiam eandem sanctam dixisse, hominem unum, mox vero fœminam comitem, principio creatos esse. Præterea, qui homines postea extitisse memorantur, eos alia origine natos, haud constat. Quod si species generis humani, quæ sententiæ adversariis est, tam diversæ ab initio extiterunt, unde accidit, ut nulla servetur memoria, quæ terræ regio, speciei hominum cuique ad habitandum, attributa sit. Quod eo magis quæro, quo magis hominibus innata est cupiditas, et rerum præteritarum historiam condendi, et præsentium posteris tradendi. Quinetiam, si species diversæ a principio usque se ostenderent, tum vero proles unaquæque parenti, quemadmodum inter animalia inferiora fit, similis existeret: at Æthiopum infantes albi, Indorum rubri nascuntur, qui si genitoribus tandem consimiles evadant, hoc minime prius accidit quam illi cœlo offerantur. Atque in hac regione nostra, cernitur interdum proles oriunda, quæ stirpem suam, neque vultu, neque colore, neque statura, neque moribus, referat. An illa, speciei diversæ existere

inde concluderetur? Jamque hominum varietates, quantumvis diversæ apparent, inter organa corporum singularum respondentia, quantulum discri-
men ab anatomicis detegeretur, nec qualis in va-
rietates primigenias conveniret. Nonne elemen-
ta maxime simplicia, per omnes et singulas, sibi
invicem respondere, inveniuntur? Hæc explican-
di, adversariis nostris onus incubit. Ex his
conficitur, ad unam et eandem stirpem, referen-
dum esse genus humanum; et, ut in plantis, spe-
cies eadem varietates plurimas, a cœlo, solo,
cultuque pendentes, complectitur; ita species ho-
num diversas dictas, speciei unicæ varietates esse
habendas, quæ a generatione, cœlo, solo, cultu,
cæterisque causis externis naturalibus, deducan-
tur.

DE COLORE.

Anatomici calori solis, colorem hominis ni-
grum attribuerunt. SMITH abundare corpus hu-
manum putabat bile, unde cuticula tingeretur;
dein soli objectam multo nigrescere magis. Cel.
BLUMENBACHUS sic opinatur, nempe, colorem
abundantiae carbonii acceptum merito referri,
quod cum hydrogenio per cutem veram excretum,

ibi loci aëris communis oxygenio in rete mucosum præcipitetur, et fingatur. Plurima pigmenta cuticulæ applicata colorem adeo constantem imprimunt, qui ad vitæ extremum usque fixus, remaneat. Facies et manus unius diei spatium soli objectæ, maculis fuscis afficiuntur; imo cutis universa tali modo exposita, nullus dubito quin eundem fuscum colorem, adeptura foret. Rustici nostri solis ardoribus maxime opportuni, multo fusciores evadunt, quam mulieres quæ domi manent, itaque se integras ab insolationis labe, custodiunt. Verum quæ sit coloris causa proxima, vel quomodo in cute efficiatur, hactenus in tenebris latet.

DE STATURA.

Statura hominum a pollicibus octodecim, ad pedes decem variat, nonnulli tamen ad quindecim, viginti, et etiam ad quadraginta pedes, increvisse dicuntur; sed rumores de hisce talibus fabulosos flocci faciamus, et animum paulisper ad statram veram advertamus. Nani in plerisque terræ regionibus, aliquando videntur. *Jefræus Hudson*, prope Oakham, in comitatu

Rutlandensi, anno salutis nostræ 1619 natus fuit, cui septimum annum agenti, circiter pollices octodecim statura erat, atque ad trigesimum, ea mensura manebat, quo pedes tres pollices novem nec unquam ultra attigit *. Comes de Tressau mentionem de nano, *Bébé* vocato, facit; huic anno Domini 1741 in vitam jam edito, octo vel novem pollices non excedebat corporis altitudo: cum Stanislauo rege Poloniensi, sed pene fatuus, vivebat; eidem annos viginti tres habenti, mortemque occumbenti, statura triginta et tres pollices. Auctor ille nobilis, alias, quoque nempe, Domini Borulawski, Poloniensis, meminit; hujus sub annum ætatis vigesimum secundum, status erectus, viginti octo pollices. Hic parvulus, ingenio grandi, judicio acri, memoria tenacissima, explenduisse fertur †. Quanquam fere omnibus dubio est, an gigantes usquam orbis terrarum extiterunt? In historia tamen, et sancta et profana, accurate descripti reperiuntur. Exempli gratia, ex Gen. c. vi. v. 4. gigantes ante

* Vide "Parr's Lond. Med. Dict."

† Vide Res Gestas Acad. Reg. Scient. apud Stockholm, A. D. 1746.

Diluvium, terram incoluere. *Og*, quoque rex Bashiensis, ex stirpe gigantea ortus est: quippe cuius lectus cubitos novem longus, quatuor latus esset. Hoc *Deut.* c. iii. v. 4. legitur. Statura *Goliath* Gathiensis, secundum *1 Sam.* c. xvii. v. 4. cubiti novem et spithama erant. In Rebus Gestis Acad. apud Rouen Reg. A. D. 1745, Dominus **LE CAT**, de omnibus terræ gigantibus famosis, verba facit, atque in staturis altitudinis cuiusque grandioris recensendis, a mensura pedum sex paulatim ad fabricam osseam hominis, in Bohemia, A. D. 758 inventam, cuius crura pedes vinti sex longa erant, progressus est. **HANS SLOANE**, eques, qui hæc secum multo reputavit, huic narrationi fidem fecit. Simul vero **Dominum LE CAT** hallucinatum, eaque ossa elephanti, vel ceti, vel animalis alius, fuisse putat. Talis vero narratiacula, fiduciam nostram minime meretur; namque de his ossibus quæ in Bohemia servari memorantur, peregrinatores neque antiqui, neque hodierni, quicquam memoriæ prodiderunt. Statura hominis multo variat: Patagoni temporibus hodiernis (quod liquidissime constat), ad septem pedes vel octo interdum, increscunt, eorumque mensura solita, plerumque ad pedes

sex dimidium patet; ergo homines cæteros nunc diei, insigniter exsuperant. O'BRIEN, Hibernus, Gigas dictus, qui passim in Britannia spectaculum se præbuit, septem pedes decem pollices altus, stabat. Hi proinde, staturam communem multo transcendunt, ergo gigantes olim floruisse fide non prorsus indignum. Statura autem humana generalis, ævo omni haud dispar sui, quod cadavera aromatis condita, atque in Ægypto notissima, hodie demonstrant.

Jamque hominum ortu primævo, historia primigenia, fœtus humani animatione incrementoque, capitum multiplicatione, atque in terras longinquas distributione, eorumque varietatibus breviter expositis;—harum collocationes maxime notabiles, raptim percurrere, cura ultima restat.

In Classe *Mammaliorum*, in ordine *Sapientum*, a LINNÆO clarissimo, HOMO (“diurnus, varians cultura et loco”) ponitur; hujusque varietates in talem modum ab illo referuntur.

1mo, *Americanus*, rufus, cholericus, rectus. Pilis, nigris, rectis, crassis; naribus patulis; facie ephelitica; mento subimberbi. Pertinax, contentus, liber. Pingit se lineis dædaleis rubris. Regitur consuetudine.

2do, Europæus, albus, sanguineus torosus.
Pilis flavescentibus prolixis. Oculis cœruleis.
Levis, argutus inventor. Tegitur vestimentis arc-
tis. Regitur ritibus.

3to, Asiaticus, luridus, melancholicus, rigi-
dus. Pilis nigricantibus. Oculis fuscis. Severus,
fastuosus, avarus. Tegitur indumentis laxis. Re-
gitur opinionibus.

4to, Afer, niger, phlegmaticus, laxus. Pilis
atris, contortuplicatis. Cute holosericea, naso
simo. Labiis tumidis. Fœminis sinus pudoris;
mammæ lactantes prolixæ. Vafer, segnis, negli-
gens. Ungit se pingui. Regitur arbitrio.

5to, Monstrosus solo (*a*), et arte (*b, c*), variat:
a. Alpini, parvi, agiles, timidi. *Patagonici* mag-
ni, segnes. *b. Monorchides*, ut minus fertiles:
Hottentotti, junceæ puellæ, abdomine attenua-
to: *Europææ*. *c. Macrocephali*, capite conico:
Chinenses. *Plagiocephali*, capite antice compres-
so: *Candanenses*.

A doctissimo GMELIN, hæ varietates humani
generis exhibentur.

1mo, Homo albus, valde symmetrice formatus.
Omnes Europæi incolæ, Asiæque flumen Obi
usque, Afri septentrionales, et Esquimauenses,

incolæque Groenlandienses, hac varietate comprehenduntur.

2do, Homo badius, color ei flavus et fuscus, crinis parca, vultus depresso, et oculi parvi. Omnes Asiæ incolentes, præter hos jam enumeratos, hic indicantur.

3to, Homo niger, huic vultus niger, crinis crispatus, labia crassa, et nasus simus. Hæc varietas omnes Afros, præter Septentrionales nuper memoratos, complectitur.

4to, Homo cupreus, cui color cupreus. Huc spectant omnes Americanæ, Esquimauensibus Groenlandiensibusque exceptis.

5to, Homo fuscus, color ejus nigrofuscus, nasus latus, crinis crassa. Tales sunt Insularum Australium Indi.

Dominus VIREY, gentem humanam in classas duas, ad normam anguli facialis exactas, includit. Angulus ille lineis duabus se mutuo intersecantibus componitur; altera nimirum ex aure ad nasum ducta, altera e fronte ad marginem maxillæ inferioris descendente. Ad classem primam, quibus angulus facialis gradum octogesimum inter et nonagesimum est, omnes pertinent; secunda, quibus angulus ille minor est, universos

continet. Talem divisionem sequitur et CAMPER Professor ; verum his faciei angulis in variis ejusdem nationis hominibus, multum inter se discrepantibus, hoc distinctionis fundamentum rejiciendum est ; nec ullæ varietatum hominum ab auctoribus adhuc prolatæ collocationes, vitio obvio parent.

Hominum distributio a BLUMENBACHO Professore facta, inter hodiernos tanquam præstantissima percrebuit. Ille universos in classes quinque, *Caucassianam*, scil., *Mongolianam*, *Æthiopicam*, *Americanam*, *Maliacam*, dat divisos.

1°. *Caucassianis*, color albus, genæ rubræ, crinis subfuscus vel nuci castaneæ similis, caput subglobosum, facies ovalis, frons satis expansa, nasus angustus et ad aquilinum inclinans, os parvum, dentes antici utriusque maxillæ ad perpendicularum positi, labium inferius versum leviter inclinat, mentum plenum et rotundum; et vultus pulcherrimus est. Europæi, (Fininis et Lapponiensibus exceptis,) incolæ Asiæ Occidentalis, Afri Septentrionales, cunctique, terræ ut antiquis notæ, incolæ, in hac classe comprehenduntur.

2°. *Mongolicis*, color flavus et oleagineus, crinis niger, erectus et rarus, caput compressum et

quadrangulare, facies lata et depressa, glabella lata, nasus parvus et simus, genæ globosæ et extorsum se projicientes, apertura palpebrarum angusta, mentum leniter prominens. Reliqui Asiæ incolæ (Maylais exclusis), Finini, Lapponenses, Esquimauenses, et omnes, a fretis BHŒRINGI, usque ad terram Groenlandiam, hac classe continentur.

3°. *Aethiopis*, color niger, crinis laneus et niger, caput angustum e latere compressum, frons gibbosa et prominens, ossa malarum antrorsum projecta, oculi prominentes, nasus simus et latus, dentes antici oblique prominent, labia crassa, tumida, præcipue superius. Omnes Afri, (Septentrionalibus exceptis,) ad hanc classem pertinent.

4°. *Americanis*, color cupreus, crinis niger, rigidus, rarus et erectus, frons brevis, oculi in orbitas lapsi, nasus depresso sed prominens, facies lata et rotunda, ossa malarum projecta, frons et vertex a pressu deformes. Omnes incolæ Americanæ, præter Septentrionales, in hac classe includuntur.

5°. *Malayis*, cutis fusca, crinis niger, mollis, crispatus et abundans, caput modice angustum, frons subtumida, nasus plenus, apex ejus latus,

ossa maxillarum apud partes superiores prominentia. Hæc classis Maris Australis, insularumque Philippinarum, cæterarumque, Madagascarienses incolas, continet.

Homines universi, ait cel. **BLUMENBACHUS**, adeo conjunctim, constitutione corporis formaque, cæterisque ejusmodi, inter se congruunt, ut hujusce rei pariter ac causarum, morum notarumque, qui animalia inferiora degenerandi arguunt, ratione habita, omniumque argumentorum huc spectantium calculis subductis, specie unica primaria cunctas humani generis varietates traxisse ortum, non possit nobis non probari conclusio.

FINIS.